

Schüler

Astitas
Diogenis

1726



11.
CASTITAS
DIOGENIS
CYNICI

PROGRAMMATE PUBLICO
A CALUMNIES VINDICATA,

QVO SIMUL
LYCEI HACHEN-
BURGENSIS MÆCENATES
AC PATRONOS OMNIUM
ORDINUM

ILLUSTRISSIMOS, GE-
NEROSISSIMOS, AMPLIS-
SIMOS, SUMME REVERENDOS
ET CLARISSIMOS,

AD EJUSDEM LUSTRATIONEM SOLENNEM AD
d. JUNII HABENDAM QUAM SUBMISSISSIME ET
OFFICIOSISSIME INVITARE VOLUIT

M. JOANNES HENRICUS SCHÜLERUS,
VERBI DIVINI MINISTER ET RECTOR.

A. O. R. M DCC XXVI.

Le 3616



CASTITAS
DODGE
CYNIC

TRIGRAMMATE PITHICO
ACERBIA & VINDICATIA

ATROPHIA
SILENTIUM MAGNETICUM
CONVOLTAZIONE
OBLIVIONE

CONFUSIO
COMPTA
CONFUSIO
CONFUSIO

CONFUSIO
CONFUSIO
CONFUSIO
CONFUSIO

CONFUSIO
CONFUSIO
CONFUSIO
CONFUSIO

CONFUSIO
CONFUSIO
CONFUSIO
CONFUSIO

Σίνοψις.

TRACTATIONIS SCOPUS. §. i.

Vitiorum, quorum Diogenes insimulatur, relatio. §. 2. Ha-
jus accusationis testes. §. 3. Pro castitate Diogenis argumen-
tum primum, à silentio Scriptorum aequalium fide dignorum.
§. 4. Argumentum secundum à summa laude, Diogeni à gra-
vissimis autoribus tributa. §. 5. Argumentum tertium au-
toritatem testimoniū Diogeni male loquentium impugnat, quod
primum rei veritatem scire nec potuerunt; §. 6. 7. & 8. Nec
quid hac in causa verum sit, investigare voluerunt. §. 9.
Quarum denique argumentum docet, rebus venereis ad-
versari Cynismum generatim secundum ejus definitionem,
finem & indolem consideratum. §. 10. Imprimis si Cyne-
jmus ratione doctrina de coercendis libidinibus spectatur.
§. 11. Epilogus continet invitationem ad examen solenne
scholasticum. §. 12.

§. I.

Fieri posse, ut castimonia vitæ viri præstan-
tissimi in omnis generis nefandarum libidinum suspicio-
nem adducantur, Christianam religionem amplecten-
tium fortuna atque conditio jam à primis temporibus satis su-
perque testantur. Etenim (a) cœnas Thyestæas, concubitus
incestuosos & promiscuos à religionis Christi hostibus infensissi-

A 2

mis

(a) Conf. Kortholdi libr. de calunn. quibus veteres Christiani adspersi sunt.



mis objecta eis fuisse, Justini Martyris, Athenagoræ & Tertullianiloquuntur apologiæ. Quis igitur miretur, si summorum Philosophorum famæ, veneræ turpitudinis nota inusta reperiatur? Ex Diogenis vita quædam exempli gratia jam proferam, ejusdem Philosophi castitatem ab omni malevolorum injuria vindicaturus.

§. 2.

Veneri (b) palam vacasse, imprimis cum Laide illa rem quam sèpissime omnibus intuentibus habuisse, dicitur Diogenes Cynicus. De eodem memoriae proditur amplius, (c) exspectandæ Laidis impatientia aliquando ductum, aliud veneris genus, à Gallis peché de molesse, dictum, improba manu exercuisse, eoqué Laidis loco sequenti tempore publice usum, exemplo piscium, esse rem licitam atque hominis naturæ convenientem probasse.

§. 3.

Quod ad publicum veneris usum consuetudinemque cum Laide attinet, citantur testes (d) Athenæus & (e) Laërtius: Reliquum accusationis septem auctorum testimoniis maxime inititur, (f) Dionis Chrysostomi, (g) Plutarchi, (h) Athenæi, (i) Luciani, (k) Sexti Empirici, (l) Galeni, ac denique (m) Laërtii. Quorum ad unum omnium testimonia levia & nullius omnino momenti esse, ut probatum eam, sequitur, idque qua- tuor argumentis, quæ summatim referam hoc programmate.

§. 4.

Fidem horum auctorum dubiam reddit, gravissimorum primum scriptorum, qui velejusdem cum Diogene ætatis, vel ejus temporibus proximi fuerunt, altum hac de re silentium. Neque enim

(b) Stanleii Historia Philosoph. Part. VI. c. II. p. 514. Bayle Diction. Historiq. & Critiq. Artic. Diogene le Cynique (L) p. 1004. & Artic. Hipparchia (D) pag. 1472. seq.

(c) Stanleius & Bayle ll. cc. (d) in Dipnosoph. L. XIII. c. VI. (e) de vitiis Philosoph. L. VI. 69. (f) Orat. V. p. 89. 90. (g) de Stoicor. republ. p. 1044. (h) l. c. L. IV. c. XV. p. 158. (i) de morte Peregr. Tom. II. p. 767. (k) Pyrrhon. Hypot. L. III. c. XXIV. p. 153. (l) de locis affectis L. VI. (m) l. c. VI. 69. it. 46.

enim (n) Plato asperioribus Cynicorum, imprimis vero Diogenis, increpationibus quam s̄epissime offensis, illorumque ex contraria parte (o) ambitionem & (p) decori in viatu & cultu neglectum accurate accusans: Neque Stoici ex Cynicorum schola non (q) originem solum ducentes, verū etiam in Cynicorum doctrina (r) circa morum civilitatem multa desiderantes, de ejusmodi Diogenis furiosis libidinibus mentionem faciunt, (s) quod nobis est indicio, nihil de hac re ipsis fuisse persuasum.

§. 5.

Ad minuendam maledicorum auctoritatem præterea facit multorum probatissimorum virorum in Cynicorum institutis laudandis consensio & concordia. (t) Cynismum brevem ad virtutem viam, Stoici omnes uno ore prædicarunt & nominarunt. Consentient in Cynicis & imprimis Diogene laudibus ornandis (u) Seneca, utpote qui nullus dubitat, quin ingentis, animi virum dicat Diogenem, ejusque statum felicitati Deorum immortalium comparet: (x) Arrianus, eorum philosophiam masculam & generosam, Diogenem vero Σενόν appellans: (y) Maximus Tyrius; (z) Lucianus conscientiæ quasi testimonio tandem de Cynicorum castitate convictus: (a) Julianus Imperator Cynicorumque defensor acerrimus. Ex Ecclesiæ Patribus patrocinantur Diogeni (b) Chrysostomus & (c) Hieronymus: Ex auctoribus recentioribus (d) Vayerus, (e) Schuppius & alii, in quorum numerum refero (f) Clariss. Heumannum, de Diogene ita judicantem: Den Diogenem Cynicum macht er (nemlich Herr Profes. Stolle) so erbärmlich herunter, daß von diesem Canne kein Hund ein Stück Brods nehmen sollte. Ich glaube aber, es

A 3

ge

- (n) Stanl. l. c. pag. 508. 520. 521. 323. 526. (o) Stanl. l. c. p. 521. (p) Stanl. l. c. p. 513. (q) Stanl. l. c. p. 542. (r) Stanl. l. c. p. 543. (s) Christ. Thomasii Eins Leitung zur Vernunft-lehr. c. x. §. 48. p. 135. (t) Stanl. p. 507. (u) Tom. I. Oper. de tranquillitate animi. c. VIII. p. 229. (x) in dissertationibus Epicteti. L. III. c. 22. (y) in dissert. XX. de vita Cynica. (z) in commendatione vitæ Cynicæ. T. II. p. 717 -- 727. (a) in Orat. VI. & VII. (b) L. II. contra contemtores vita monastica, & in quatuor Orationibus, scil. VI. VIII. IX. & X. (c) L. II. contra Jovianum. c. IX. His addi potuisset Lactantius in libro de veterum scriptis legendis. (d) Tom. V. p. 127. seq. (e) in Orat. de varietate ingeniorum. p. 20. seq. Vid. Stolens Anleitung zur Historie der Gelahrtheit. p. 362. (f) in Actisphilosoph. P. VII. dissert. V. §. VI. p. 151. seq.



6 (6)

geschehe diesem Philosopho zu viel. Die übel klingende Zeugnisse der Alten halte ich deswegen vor verdächtig, weil er von denen rechtschaffenen Stoicis einstimmlich, und zwar als ein hochweiser und unvergleichlicher Mann gelobet wird. Seneca und anderer Urtheil vor diesesmahl vorbe zu lassen, wie hätte ihn Epictetus ^{sed}, einen göttlichen Mann, oder, wie Clericus diesen locum gar recht emendiret hat, ^{sed}, einen Gott, nennen können, wenn er die gemeinen Sau-Historien, welche von diesem Mann erzehlet werden, vor wahr, und nicht vor Lügen und Calumniens, gehalten hätte?

§. 6.

Accedit, illorum neminem, quorum testimonia gloriæ Diogenis repugnant, jure dici posse testem hac in causa fide dignum. Sua quippe testimonia veritati consentanea esse atque indubitata, scire plane non potuisse, ipsa temporum ratio, quibus vixerunt, sic declarat. Si supremum obiit diem Diogenes, ut vulgo creditur, (g) eo ipso die, quo Babiloniæ fato functus est Alexander, incidit dies mortis Diogenis in annum primum Olympiadis CXIV, qui est, secundum (h) Petavium, ab U. C. CCCXXX, ante Christum natum CCCXXIV. (i) consequens est, Dionem vixisse minimum annos CCCXXX: Plutar-chum annos CCCCL: Athenæum, Lucianum, Sextum Empiricum & Galenum annos CCCCLXX: Diogenem denique (k) Laërtium annos CCCCL, post, quam de vita decessit Diogenes. Quæ cum ita sint, patet, eos ad unum omnes neque fusile testes oculatos & auritos, neque à testibus vivis & rei consciis sua accepisse. Ex literarum insuper monumentis Platonicorum, Stoicorum & reliquorum Diogeni æqualium Philosophorum relata sua non habuisse cognita atque explorata, demonstravit hujus tractationis paragraphus quartus & quintus: Nec ad libros Cynicorum genuinos sua referre potuisse, comprobabit sequens paragraphus decimuscum undecima. Sua ergo maledicta in Diogenem unde hauserint, haud immerito queritur?

§. 7.

(g) Stanl. I. c. p. 530. quædam circa hanc sententiam dubia mover Bayle I. c. articul. Diogene le Cynique. (H) p. 1003. (h) in ration. temp. (i) de æratibus, quibus vixerunt unusquisque horum auctorum, vid. Menckii gelehrtes Lexicon, Fabric. Biblioth. Græc. & Latin. (k) Conf. Heumannii Acta Philosoph. P. II. Dissert. V. p.

Licuit mihi haec tenus duos invenire hujus rei fontes, quorum alter est, rumor vulgi, alter, libri ab aliis Cynicorum nomine subjecti. Ex auditu multa arguisse innuit (l) Atheneus, qui nostri Philosophi cum Laide consuetudinem confirmat cuiusdam, Aristippo servitiae praestantis, narratione. Hunc olim ex Crano reducem eiusmodi dixisse, fama erat. (m) Sextus Empiricus argumenti loco utitur auditione: accepimus, inquit, Zenonem, Diogenis factis verecundiae inimicis, album addidisse calculum. Malum autem veritatis custodem vulgi rumuscum esse, quis ignorat? Fieri posse, ut, cui placet virtus, idem placeat populo, negat (n) Seneca, omniumque Philosophorum, imprimis Cynicorum probat exemplis. Nam (o) cum obvios quosque monerent Cynici, eosque ironica methodo verbis castigarent acerbioribus, (p) multitudo furere sunt visi. (q) Histrionum turba agens Tragœdias, ne Cynicis personas hominum mente captorum, rebusque venereis deditissimorum tribuerent, haud est verita. (r) Locus ipse, Cranium dictus, ubi commorabatur Corinthi Diogenes, auxisse videtur ejus impudentiae famam; erat enim luponarium, sive impurorum & impudicorum omnium colluvies & sentina, (s) quam quidem ob rem Diogeni jam sua aetate opus erat, non libidinis explenda gratia, sed qua ratione medici in ægrotorum numero, eadem in improborum coetu se versari, omni affeversatione plebi affirmare. Multum convitii in Cynicam sectam intulit (t) homonymia, quæ dicitur, vocis canis, quæ cum (u) calumniatorem significat, quo sensu Diogenem Plato canem vocavit, quia ejus reprehensiones justo acerbiores esse, putabat: tum etiam (x) hominem impudicum, quo sensu falsis opinionibus præoccupata multitudo Diogenem

(l) l. c. L.XIII. c. VI. p. 588. (m) Pyrrhon. hypot. L. III. c. XXIV. pag. 153.
 (n) Tom. II. Epist. XXIX. p. 94. (o) Seneca l. c. pag. 91. (p) Stanl. l. c. pag. 517. (q) Testantur tragœdias, sub Diogenis nomine existentes. vid. Stanl. l. c. p. 534. (r) Stanl. l. c. pag. 516. (s) Stanl. l. c. pag. 516. (t) vid. Fabr. Lexic. Lat. sub voce Canis. (u) Acta Philosoph. Part. XII. Dissert. III. pag. 902. (x) Bayle l. c. artic. Hipparchia. (D) pag. 1472. Stollens Anleitung zur Historie der Gefahrheit pag. 369.

genem canem dici, (y) falso sibi persuadebat. (z) Cynicorum, nomine magis quam re vesana denique cohors in causa fuit, ut ejus immoderata vivendi licentia, universa Cynicorum secta aspergeretur infamia. A plebecula igitur, sijam (a) Ciceronis aetate male audiverunt Cynici, quis in admirandis ponit?

§. 8.

Quod libros Cynicorum nomine suppositos spectat, eorum ingentem extitisse numerum, præcipue Tragoediarum, quibus ab omni honestate res alienissimas Diogenem induxerunt commemorantem, ipse fatetur Laertius, (b) auctoresque fraudis Philiscum & Pasiphontem nominat. Exemplo nobis est Tragoedia (c) Thyeste, in qua Diogenem sensisse dicitur, conjugium rem vanam esse, mulieres communes esse oportere, carnibus vesci humanis non esse impium, & id genus plura. Quarum Tragoediarum turpitudinem accusavit suo tempore (d) Julianus, & Diogenis non esse disputavit. En igitur limpidissimos fontes! infimæ multitudinis præjudicatis opinionibus captæ rumuscum, & librorum supposititorum fidem, quibus innititur Diogeni male loquentium auctoritas.

§. 9.

Non defuisse modo his auctoribus cognitionis certitudinem fontium respectu, ut antea demonstravimus: Sed ne inquirendi quidem eis fuisse animum, quid distent hac in re æra lupinis, facile cernitur, si qua voluntate & consilio ejusmodi scripserint, instituitur quæstio. Non multum à Poëtis primùm differt Oratorum auctoritas (e), cum quibus Dio Chrysostomus merito annumeratur, quippe qui de rebus quidem ad Philo-

(y) Quibus in rebus cani similis sit, docet Diogenes sœpe numero, vid. Stanl. l. c. pag. 519. 522. 527. 530. (z) Pseudo-Cynicis opposuit Julianus Orationem suam secundam.

(a) Cynici nomen convitii loco tunc temporis fuisse, ex Ciceronis L. II. ad Attic. Epist. IX. patet, conf. Act. Phil. Part. XII. Diff. IV. §. 1. p. 913. (b) Stanl. l. c. p. 510. & 534. (c) Stanl. l. c. p. 520. (d) Orat. VI. p. 210. (e) Menckii gel. Lexic. voc. Dio Chrysost.

Philosophiam pertinentibus, sed oratoriae artis solum exercendae ingeniique ostendendi gratia verba fecit, parum curans, respondeant, nec ne, Historiae veritati sua relata. Deinde Plutarchus tum (f) credulitatis incurrit suspicionem, tum maxime hac in causa multum affectibus dedisse, insimulari meretur. (g) Odio enim maximo in Stoicorum nomen flagrans, ægrè non tulit, Stoicos, qui Cynicis debent originem, tam foedis parentibus esse ortos, si omnes crederent. Deinde de Athenæo audiamus (h) Cl. Heumannum: Athenæus ... hat von denen Philosophis gar vieles, darunter aber gar wenig ihnen zur Ehre gereicht, in sein bekanntes Opus bracht. Wenigstens hat ihn Bayle im Verdacht, er habe seine Lust daran gehabt, daß er alle ärgerliche Historien von denen Philosophis aus denen ärgsten Satyricis zusammen gelesen habe. Ja, er beschuldigt ihn (den Athenæum) an einem Orte, er habe den Vorsatz gehabt, nicht nur andere gelehrte Leute, sondern auch insonderheit die Philosophos als Huren & Jäger zu beschreiben, und ihnen also einen häßlichen Schandfleck auf den Ermel zu heften. Deinde Sextum Empiricum (i) Pyrrhonis asseclam, in sinu gavissum credo, simul ac honestatis præcepta, quæ ab ipsa natura hominibus insita & innata putantur, à Cynicis pernegata fuisse, legerit, omniaque hinc esse dubia & incerta denuo probari posse, sibi persualissè videtur. Satis est (k) de Luciano dixisse, quod sententiam supra propositam retractarit, iisdem in rebus Cynicos laudando, in quibus antea vituperarat. Postea (l) Galenus de Historica fide parum sollicitus, cum de locis affectis ageret, quæ hujus rei causa naturalis esse potuerit, quasi in transitu declarat. Po-

B

stremo

(f) Heum. Act. Philos. Part. I. Diff. IV. §. 9. p. 118. seqq.

(g) Stollens Anleitung in die Historie der Gelahrtheit p. 598. & 373.

(h) Act. Philosoph. Part. III. Diff. I. §. XXVI. pag. 438. conf. Part. XII. Diff. IV. §. 2. pag. 913. seq.

(i) Buddei Elem. Philos. Instrum. c. I. §. 13. p. 8. Fabr. Biblioth. Græc. I. 4. c. 18. pag. 590. seq.

(k) In commendatione vitæ Cynicæ. Vide supra §. 5. lit. (M) & Heumannii de Luciano judicium, in Act. Phil. Part. VII. Diff. II. §. 2. p. 62.

(l) Conf. Bayle Diction. Historiq. & Critiq. artic. Diogene le Cynique (L) pag. 1004.

stremo (m) Laërtium sine ullo prævio judicio arripiuisse, quæ de Philosophis commemorata invenit, nemo hodie ignorat. Sic horum scriptorum ne unicum quidem, si Lucianum excipis, ad veritatem historicam hac in parte perscrutandam unquam appulisse animum sole meridiano clarius eluet.

§. 10.

Nihil denique magis universæ Philosophiæ Cynicæ, si quis ejus definitionem, finem, juxta atque indolem considerat; speciatim vero Cynicorum placitis, de libidine fugienda & coercenda, adversatur & repugnat, quam illæ veneræ res, quarum supra facta est mentio. (n) Cynismum definiunt, quòd sit fortissimorum quorumvis, potissimum. (o) Herculis, imitatio, & (p) brevis ad virtutem via. Unde illud tantum præclarum & probandum existimant Cynici, (q) cuius finis sit magnanimitas animique intentio. Non mollier effeminateque vitam transigentibus, sed Herculi ac fortissimis se comparabant (r) athletis, quibus conflictio cum hostibus intercedat atrocissimis, præcipue cum feracissima illa bestia, doloſa & blandiente voluptate. Finis hujus Philosophiæ erat similitudo cum illo numine, quod Socrates colebat. Indicat hoc Diogenes, (s) dum viros bonos Deorum appellat imagines. Nec obstat, quod cum vulgo de Diis tanquam pluribus loquantur Cynici: ab iis unicum tantum Deum Socratis intelligi, testis est Antisthenes, ad similitudinem cum Diis perveniendum nihil præter (t) Socraticum animum.

(m) Heumann. Act. Phil. Part. II. Dissert. V. pag. 348. Stolie Histor. Litter. pag. 348.

(n) Olearius in notis ad Stanl. p. 505.

(o) Stanl. l. c. pag. 505. & 520.

(p) Stanl. l. c. p. 507.

(q) Stanl. l. c. pag. 530.

(r) Stanl. l. c. pag. 517.

(s) Stanl. l. c. pag. 526.

(t) Stanl. l. c. pag. 506.

mum requirens. Pro uno autem eoque vero DEO, Socratem ipsam mortem perpeſsum esse, probatione non eget. Hæc cum DEO Socratis conformitas duabus continebatur partibus, altera externa, altera interna. Internam animi cum DEO conformitatem ponebant (u) in virtute, quam solam animi pulchritudinem, solamque statuebant (x) felicitatem, nec eam doctrina, sed (y) usu atque exercitatione acquiri disputabant. Externæ vitæ statui tunc inesse quandam cum Deo similitudinem, si quam paucissimis in viatu & cultu egeremus, ex Socratis disciplina retinuerunt. (z) Diogenes, Deorum esse, inquit, proprium, nulla re egere, eorum vero, qui iis effent similes, egere quam minimis. Pariter ex hac Dei similitudine ortum puto immunitatis amorem, in rebus (a) à locorum & temporum circumstantiis ita pendebut, ut (b) legibus civilibus non sint constitutæ; ejusmodi sunt exempli gratia: (c) sine locorum & temporum discriminatione edere, (d) obsoleta & tritaveste uti, ante fores (e) locorum publicorum pernoctare, & id genus (f) plura alia. His

B 2

ita

(u) Stanl. l. c. pag. 507.

(x) Stanl. l. c. p. 506.

(y) Stanl. l. c. pag. 506. & 519.

(z) Stanl. l. c. pag. 507. Seneca Tom. I. Opp. de Tranquill. c. 8. p. 229.

(a) Stanl. l. c. p. 513. & 524.

(b) Leges Civitatis fanæ esse servandas inculcat Diogenes. vid. Stanl. l. c. pag. 526. ubi in margine invenitur hujus loci emendatio ex mente Olearii. Christ. Thos. in Philos. atlic. c. 1. §. 32. Omnia, inquit, faciebant in propatulo, quæ non repugnarent legibus.

(c) Stanl. l. c. p. 527.

(d) Cynic pallium gestabant sine tunica. Stanl. pag. 508. Buddei Anal. Histor. Philos. pag. 433. Observ. Hallens. Tom. IX. Obs. X. §. 8.

(e) Stanl. l. c. pag. 513.

(f) E. g. pedes ne rigidissima quidem hyeme tegere. Stanl. p. 533. barbam promissum

ita evictis demonstratisque, nihil eorum ratum atque firmum esse, quorum aliorum incuria & credulitate rei facti sunt Cynici, is demum intelligit, qui apud se animo suo perpendit, an servire carnis voluptati, & cum eadem tanquam ferocissima bestia Herculis instar in conflictum descendere, simul possint consistere: itemque, an inter se convenient, Dei Socratis, mentis castissimæ, amare similitudinem, & eodem tempore tetris se libidinibus mancipare. Accedit, indolem sectæ Cynicæ plane esse Heroicam, (g) masculam & generosam, eiisque animum proprium esse, in quo primas tenet ambitione. Atque hac animi indole natura præditum fuisse (h) Antisthenem & (i) Diogenem, omnia eorum dicta & facta non solum, verum etiam Socrates cum Platone, testi moniis suis confirmant. Nihil autem ab ambitione remotius esse libidine, morum doctrina docet.

§. II.

Labefactabit tandem omnis linguæ maledicæ fidem Cynicorum doctrina de sedandis & coercendis libidinibus. Quamvis matrimonium rem honestam iisque licitam concederet (k) Antisthenes, qui sobolis procreandæ causa id (l) verecundè inirent & colerent. (m) Perfectius tamen vi-

tæ

missam alere. Buddei Anal. Hist. Phil. pag. 431. seqq. Observ. Hallens. Tom. IX. Obs. X. §. 7. 8.

(g) Vossius de Sect. Phil. c. 18. §. 9. vid. supra. §. 5.

(h) Stanl. p. 505. Buddei Anal. Hist. Phil. p. 461.

(i) Stanl. l. c. p. 517. 527. 534.

(k) Stanl. l. c. p. 506.

(l) Stanl. l. c. p. 523. 527. 539.

(m) Stanl. l. c. p. 531.

tae genus prædicabant, si quis à conjugio sibi castè temperare didicisset, quoniam (n) raram avem existimabant conjugem communibus sui generis vitiis non innutritam. Ad castitatem verò tuendam, non blandientis voluptatis (o) usum, quasi exercitatione expleri atque exsatiari posset, utilcm arbitrabantur, sed ejus primū (p) fugam & contemptum, deinde cum ea (q) acerrimam pugnam, ad ultimum (r) corporis curam cum egestate, & inopia multis-
que vigiliis conjunctam. Hac arte libidines reprimi & vinci posse (s) suo exemplo specimen dare Cynici cupidè elaborabant. Brevitati studentes Cynicorum hac de re testimonia prætermittimus, ampliorem hujus materiae tra-
stationem in aliud tempus differentes & reservantes.

§. 12.

Quantum verò nostra juventus scholastica, in do-
ctrina de libidinibus aliisque vitorum generibus spiritus
CHRISTI ope vincendis, & reliquis literarum studiis,
quibus haec ætas impertiri potest, per DEI gratiam, hacte-
nus profecerit, crastinus dies prolatus est in lucem,
quippe qui constitutus est, ut lustratio Lycei nostri, ea-

B 3

que

(n) Hinc mulieres in varias Cynicorum incurunt reprehensiones, vid. Stanl. I. c. p.
507. 525. 526. 531.

(o) Stanl. p. 507. 509. 520. 529. 531. Plutarchi de pueror. instit. p. m. 95.

(p) Stanl. I. c. p. 122. 516. 530. 531. 532.

(q) Stanl. I. c. p. 516. 517.

(r) Stanl. I. c. p. 507. 513. 516. 526. 532. 533.

(s) Stanl. p. 514. ubi sechori magistro comparat.

que solennis habeatur, cui ut clementer ac benevole ho-
ris locoque consuetis interesse velint mansuetiorum litera-
rum fautores ac patroni, qua possumus animi observantia
humillimè & quam officiosissimè rogamus. P. P.

Hachenburgi Saynensium, Mense

JUNIO, A. O. R.

M DCC XXVI.



6e3616

X 23108.30





17
R 336

CASTITAS DIOGENIS CYNICI

PROGRAMMATE PUBLICO
A CALUMNIIS VINDICATA,

QUO SIMUL
**LYCEI HACHEN-
BURGENSIS MÆCENATES
AC PATRONOS OMNIUM
ORDINUM**

**ILLUSTRISSIMOS, GE-
NEROSISSIMOS, AMPLIS-
SIMOS, SUMME REVERENDOS
ET CLARISSIMOS,**

AD EJUSDEM LUSTRATIONEM SOLENNEM AD
d. JUNII HABENDAM QUAM SUBMISSISSIME ET
OFFICIOSISSIME INVITARE VOLUIT

**M. JOANNES HENRICUS SCHÜLERUS,
VERBI DIVINI MINISTER ET RECTOR.**

A. O. R. M DCC XXVI.

Le 3616

KIRCHEN
UNIVERSITÄT

